Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 421
Quelle:
Copyright:

IV. *fol.* 55. minio: *In nomine unice trineque deitatis incipit traditio orationis dominicę quę ita inchoatur.* Nempe: *Pater noſter qui es in cęlis et reliqua.* Int. *Quomodo uocatur hęc oratio?* R. *Dominica.* Int. *Quare dominica dicitur?* R. *Quia dominus eam proprio ore compoſuit.* &c. Terminatur utilis haec Catecheſis, cujus Autor me latet, his verbis: *vt deus ſolita pietate non permittat nos induci in tentationem. ſed potius liberet ab omni malo. qui uiuit et r. in ſecula.*

V. *pag. ult.* Frivola quaedam in ’ετυμον *Tragoedias* et *Comoedias*, coaeva tamen manu exarata, ſed manca et partim extrita. Ineunt: *Tragoedi dicuntur a greco quod eſt dragos i. hircus* &c.

CL. VIII. 9. 1.

578 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 43. 4. bene ſcriptus, ſed finem verſus aevo ſituque valde extritus, continet *Aratoris Liguris*, fortaſſe *Mediolanenſis*, qui Subdiaconus Eccleſiae *Rom.* anno 556. obiit, *Hiſtoriam Apoſtolicam* verſu heroico redditam. Titulus: *Incipit Liber Aratoris*, literis *o* et *i* in ultima voce ω et υ graecum referentibus. Additur minuſculis: *Subdiaconus fuit iſte arator et iſtud opus coram ceſare et omni ſenatu legebatur et honorifice ſuſceptum eſt ab omnibus ſpecialiter erudito floriano.* Falſum de *Caeſare*, pro quo *Vigilius* Papa ponendus, cui oblatum Poema a. 544. lectum eſt pluries publice *Romae* in Eccleſia b. *Petri*, ut e Codice *Vatic.* referunt *Bellarminus* et *Labbeus*, habeturque in *Bibl. PP. Lugd.* T. X. p. 125. ante ipſum *Aratoris* Opus, ubi, quemadmodum in *Cod.* noſtro, praemittitur geminum Carmen, primum quidem ad *Florianum* Abbatem, quod incipit: *Qui meriti florem* &c. alterum ad *Vigilium* Pont. Max. *Moenibus undiſonis* &c. Poema ipſum nobis inſcribitur: *De ſcelere Judeorum quod in dominum perpetrauerunt*, et infit:

Et (ut) *ſceleris iudea ſui polluta cruore*
Auſa nefas compleuit opus &c.

Diviſio nobis in Libros nulla, relicta tamen inter Narrationis Particulas ſpatia recipiendis Argumentis ſeu Summariis, quae abſunt. De Autore, ejusque Editionibus adi *Caveum* T. I. p. 523. *Ceillerium Hiſt. gen. des Aut. Eccl.* T. XVI. p. 356. *Fabricium Bibl. med. Lat.* L. I. p. 133. ubi promiſſam vides Poetae haud infeliciter *Claudianum* imitantis novam Editionem. Quodſi quis *Fabricii* fidem liberare vellet, non illi negligendus foret *Codex* noſter ob lectionis varietatem, cujus Specimina quaedam e collatione cum Textu *Bibliothecae PP. ſupracit.* hauſta hic adſcribere non piget. Ita in Carm. ad Papam *Vigilium* pro: *Vigili ſanctiſſime Papa*, No-